

Non quod sufficientes simul cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sine gratia igitur excitante nec ad primum actum fidei valeamus disponi, nec aliquid boni agere, aut cogitare in linea supernaturali.

## XX.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habuit supernaturalem.

94. Hæc propositio est illatio antecedentis; sed æque falsa, & æque ideo damnata. Supposita enim pia affectione imprudentissimum, & grave contra fidem peccatum est, repudiare assensum fidei firmatum rationibus intellectus, firmiorique motivo supernaturali.

## XXI.

Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum noticia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit Deus loquutus.

95. Falsitas hujus propositionis liquet ex eo, quod assensus fidei est certus, & infallibilis, qui nequit haberi cum opprobrio, & formidine. Nec hæretici, nec Mahumetani admittunt pro sua secta sufficere notitiam sibi tantum probabilem, & cum formidine, quanto minus sufficere valet pro vera fide, & religione?

96. Dices: qui adorat hostiam a Sacerdote elevatam, credit esse ibi Christum; sed probabiliter tantum est ibi Christus, quia potest esse non consecrata, erg. sufficit assensus probabilis ad fidem? R. Quod assensus fidei adorantis hostiam terminatur ad mysterium Eucharistiæ, credens in omni hostia rite consecrata esse Christum; quod non est tantum probabile, sed certum, & infallibile. An autem hæc numerus hostia sit rite consecrata, vel non, est quid valde diversum. Sicut quod bene baptizatus recipit gratiam, est de fide; quod autem hic sit recte baptizatus, non est de fide.

## XXII.

Non nisi fides unius Dei necessaria vi-

detur necessitate mediis, non autem explicita remuneratoris.

97. Hæc propositio merito damnatur, quia directe opponitur doctrinæ Apostoli ad Hebræos 11. *Credere enim oportet, accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ubi duo credenda proponuntur necessaria, nempe *Deum esse unum, & remuneratorem* non solum in linea naturali, sed etiam supernaturali.

98. Dices: Si quis in sylvis enutritus audiens notitiam de uno Deo, nihil verode remuneratore, eliciendo actum contritionis, aut caritatis, decederet, salvaretur, erg. non est necessaria explicita remuneratoris notitia. R. Quod in casu proposito Deus provideret, ut ille instrueretur de tali notitia, sive interna illustratione, sive mittendo ministrum, qui eum edoceret, ut in simili ait D. Th. in 3. dist. 25. q. 2. ad 2. quest. 2.

## XXIII.

Fides late dicta ex testimonio creaturæ, similiter motivo ad justificationem sufficit.

99. Ad justificationem requiritur fides entitative supernaturalis, & ex motivo supernaturali, nempe ex testimonio Dei revelantis: & oppositum dicere damnatur in hac propositione. Fides lata dicebatur ab ejus Authore illa, quæ habetur ex voce, & testimonio creaturarum juxta illud: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum.* Hanc autem, vel similem non sufficere ad justificationem, constat ex ejus damnatione.

## XXIV.

Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit Deus, aut possit damnare hominem.

100. Perjurium est adducere Deum in testem falsitatis; in ratione autem falsitatis tam falsum est mendacium leve, quam grave, erg. eadem injuria Deo irrogatur adducendo eum in testem mendacii levis,

vis, ac gravis. Unde in veritate formali juramenti nequit dari parvitas materiæ, nisi ex imperfecta deliberatione, & oppositum damnatur in hac propositione. Alia huc spectantia dicta sunt in Tract. de juramento.

## XXV.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

101. Jurare sine animo jurandi est intrinsece malum, quia est abuti nomine Dei ad alium decipiendum. Unde merito damnatur asserere oppositum, quia quod intrinsece malum est, ex nulla causa honestari valet. Non tamen damnatur dicere, quod jurare sine animo jurandi extra judicium, & contractum id, quod alias verum est, non est peccatum grave, sive fiat cum causa, sive sine illa; hoc enim minime est asserere id esse licitum, sed non esse peccatum grave, quia solum est quedam fictio, seu defectus levis, qualis est defectus necessitatis, aut judicii, qui apud omnes levis est.

## XXVI.

Si quis, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additamentum, revera non mentitur, nec est perjurus.

## XXVII.

Causa utendi bis amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censatur tunc expediens, & studiosa.

102. Hæc duplex propositio damnatur merito, in ea quippe ampla panditur via ad fictiones, deceptiones, mendacia, & perjuriam. Omnes conveniunt in eo, quod non liceat loqui, nec minus jurare cum restrictione pure mentali, sed in assignan-

do, quæ restrictio sit pure mentalis, non parum variant. Nos, quæ probabiliora visa sunt, diximus in tract. de juramento, ubi lectorem remittimus, ne acta iterum agamus.

## XXVIII.

Qui mediante commendatione, aut munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

103. Hæc propositio est sequela duplicis anterioris, ideoque merito damnata. Imo ex duplici capite meretur damnari: tum quia admittit restrictionem pure mentalem, tum quia ait, non tenetur fateri crimen occultum. Quod falsum omnino est, quando agitur de aliquo promovendo ad officium, vel dignitatem, ut in præsentia,

## XXIX.

Urgens gravis metus est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

104. Ex nulla causa valent simulari sacramenta, hoc est, ficte ea ex intentione confici, aut ministrari. Unde nec metu mortis potest Sacerdos absque intentione proferre supra materiam respectivam verba consecrationis, absolutionis, aut alterius sacramenti. Idem est de conferente digno, vel indigno hostiam non consecratam, adest enim simulatio in administratione sacramenti.

105. Valde diversum est, quod Confessarius dum reperit poenitentem indignum absolutione, ad vitandum scandalum faciat super illum signum crucis, aliquasque preces proferat, admonito prius poenitente, quod eum non absolvit; hoc enim non est proprie simulare sacramentum, sed prospicere famæ proximi, & reverentiæ sigilli sacramentalis.

## XXX.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si ali-



ter hac ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactum alapam, vel istum fustis fugiat.

106. Hæc propositio duplicem habet partem, & quoad primam eadem fere est cum septima damnata ab Alex. VII. ubi de illa dictum est satis. Quoad secundam æque falsa est; si enim impingens alapam, vel fuste percutiens fugiat, minime fas est illam occidere; alias potius injusta vindicta, quam justa defensio esset.

## XXXI.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

## XXXII.

Non solum est licitum defendere defensione occisiva, quæ actu videmus, sed etiam ad quæ jus incertum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

## XXXIII.

Licitum est tam heredi, quam legato, contra injuste impediendam, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habent in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impediendam.

107. Hæc triplex propositio merito a Christiana Theologia profligatur, continet enim doctrinam vere sanguinariam, & feralem. Igitur de fide est, non posse regulariter occidi furem pro conservatione unius aurei, nec pro bonis, quæ actu non possidentur. An autem valeat occidi pro conservatione honorum magis momenti, adhuc sub lite est. Nostra sententia partem sustinet negativam, quæ cum aliis huc spectantibus videri potest in explicatione quinti præcepti Decalogi.

## XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne quædam deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

108. Hæc propositio latam aperiebat viam strupis, & aliis flagitiis, si enim liceret procurare abortum, ut ipsa ait, ad cooperiendam peccata, facile aderat medium sed cum intrinsece sit malum, utpote contra bonum speciei, & quodam homicidium proditorium, justissime damnatur.

109. Ante Innoc. XI. jam Xistus V. damnaverat doctrinam hujus propositionis sub severissimis pœnis, sed eo devenit licentia opinandi sæculo retracto, ut eam suscitaverit quidam sub specie pietatis in puellas, ne earum fama, aut vita periclitaretur. Ideo damnatur denuo, ne cui licere videatur sub quocumque prætextu procurare abortum fetus etiam inanimati.

## XXXV.

Videtur probabile omnem fetum, quantum in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; & consequenter dicendum est, in nullo abortu homicidium committi.

110. Penitus improbabile est, quod asserit propositio: pugnat enim cum philosophia, cum experientia, & cum sacra pagina. Nam philosophia docet ante ortum formari corpus, & infundi animam viris trigesimo, vel quadragesimo die a conceptione; feminis octogesimo plus, minusve: non de sunt alii moderni animationem fetus accelerantes plus minusve juxta vires naturæ respectivæ. Experientia etiam testatur matres sentire motus vitales fetus in ventre, & quod mortua matre, scissoque ejus latere sæpe infantes vivos extrahi. Ex sacra pagina pariter constat, quod Jacob, & Esau in ventre matris suæ Rebeccæ luctati sunt, quod Jeremias in vulva fuit sanctificatus, & quod Joannes Baptista in sexto mense suæ conceptionis exultavit in utero. Igitur prorsus improbabile est oppositum, imo est error in philosophia, & proxima heresi dicta propositio, ideoque merito damnata.

## XXXVI.

Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.

112. Hæc

111. Hæc propositio est valde pernicioiosa in praxi, præbet quippe ampliam facultatem furandi cuilibet, ut ipsa ait, gravem necessitatem patienti. Unusquisque autem necessitatem patienti, propriam pro suo capto gravem putat. Unde merito damnatur, decernendo nulli licere furari in necessitate gravi.

112. Non damnatur id licere in necessitate valde urgenti, seu gravissima, puta ad evitandam captivitatem perpetuam sine spe redemptionis, vel aliud simile malum gravissimum. Alii contendunt solum licere in necessitate extrema: ajunt vero hæc non consistere in indivisibili, sed habere suos gradus, ex quo tandem recidunt in alteram sententiam, & solum voce videntur dissentire. Collocant enim in gradu necessitatis extremæ periculum imminens incidendi in perpetuam Turcorum captivitatem. In hac materia pedetentim est incedendum, & in moralibus juxta circumstantias resolvendum.

## XXXVII.

Famuli, & famule domesticæ possunt occulte suis beris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

113. Hæc propositio relinquit judicio famulorum, & ancillarum taxam salarii, quod eis debetur. Quot autem absurda, furta, & atrocina inde prosilirent, nemo non videt. Igitur merito damnatur. Sicut in pretio mercium, sic in famulorum salario datur infimum, supremum, & medium, attente consuetudine Provincie, seu Regionis: unde famulus, qui in infimo, vel medio convenit cum domino, debet illo esse contentus. Nec credendi sunt famuli, aut ancilla querelas de domo referentes, sed obligandi ad restituendum, si quid amplius convento salario occulte acceperint, nisi ad oppositum adsit certa, & indubitata causa.

## XXXVIII.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

114. Sub pœna peccati mortalis debet restitui magna summa, quomocumque furata sit, ergo falsa est propositio isthæc, ideo juste damnata. Itaque supposita materia gravi exfurtivis facta, sub gravi est restituenda, sive peccatum grave commissum dicatur in ultima acceptione, sive in retentione materiae gravis, quod ad præsens parum refert.

XXXIX. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

115. Omnis causa efficaç, sive physica, sive moralis damni alteri illati, tenetur ad illius restitutionem, agit enim contra justitiam communitativam, ex cuius violatione oritur jure naturæ obligatio restituendi. Igitur merito damnatur propositio, quæ ipsi juri naturæ repugnat.

XL. Contractus mobilia licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

116. Hæc propositio viam parat fraudibus, & usuris; contractus enim in ea depictus est usura palliata, qua artifex dat v. g. centum emptori, ut hic reddat ei centum, & viginth. Contractus animi mobilia absque ullo pacto non damnatur, quia emitur res, & venditur voluntarie justo pretio. Ut si emas vas argenteum decem aureis, & deinde illud vendas sine labore artificii, (sin las hecuburas) alteri, vel priori venditori. Hic tamen nequit licite illud vendere intentione emendi idem viliori pretio, etiam seculo omni pacto, adest enim usura mentalis in tali venditione cum tali intentione.

## XLI.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sor-

1010



sem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

117. In hac damnatione declaratur, quod pecunia præsens non est pretiosior futura moraliter certa, & suo tempore, solvenda, & quod sola dilatio solutionis non excusat ab usura, si aliquid ultra sortem exigitur ob eam a mutuatario. Igitur nec pro sola dilatione, nec pro sola anticipatione pecuniæ potest quidquam carius, aut vilius justo pretio vendi, aut emi: nam licet propositio damnata tantum loquatur de mutuo, idem tenendum est de emptione, aut venditione. Non tamen damnatur posse quidquam exigentiam in mutuo ratione damni emergentis, aut lucri cessantis.

118. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex iustitia debitum.

119. Usura est, exigere a mutuatario aliquid ultra sortem, esto solum ex gratitudine, aut ex benevolentia debitum, quia ex quocumque titulo exigitur a mutuatario, manet hic obligatus ad aliquid ultra sortem, quod est contra intrinsicam rationem mutui. Unde nequit mutuans aliam obligationem imponere mutuatario, nisi quod solvat capitale tempore congruo. Alia enim quævis obligatio, etiam ex gratitudine imposita, usura palliata est. Potest autem sine ullo pacto sperare gratitudinem a mutuatario, & hic valet gratum se exhibere, hoc enim decet hominem honoratum. Imo potest, quis petere a mutuatario, quod sibi de præsentibus mutuet aliud, quod indiget; sed non potest imponere onus, quod mutuet sibi, vel alteri in futurum.

XLIII.

Quidni non nisi veniale sit detractum auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

XLIV.

Probabile est, non peccare mortaliter,

qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix erit ulla opinio probabilis in Theologia.

120. Hæc duplex propositio merito damnatur, quia falsum crimen alteri imponere est intrinsece malum, & si est in materia gravi nequit non esse peccatum grave contra iustitiam proximi. Nec juvat, quod in propriam defensionem fiat, nemo potest se defendere mediis illicitis, falsis, & injustis.

121. Potest autem, quis caute revelare verum crimen detrahentis ad labefactandum ejus testimonium, ut quod antea fuerit deprehensus in mendacio, aut perjurio, modo hoc sit necessarium ad propriam famam defensionem, & fiat cum moderamine inculpata tutele. Quod etiam loquendo de accusatore, aut teste concedunt reo non pauci, quatuor conditionibus servatis. 1. Quod testis sit voluntarius, & non coactus. 2. Quod tantum dicatur de illo illi defectus, qui ad defensionem conducunt. 3. Quod non detur alius modus pro defensione. 4. Quod damnum imminens testi, aut accusatori non sit majus eo, quod reo timetur.

XLV.

Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

XLVI.

Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

122. Prima ex his duobus propositionibus duo ajebat, nempe non esse simoniam dare temporale pro spirituali, quando temporale dabatur tantum ut motivum, non ut pretium dandi, aut efficien-

ciendi spirituale. Item nec quando spirituale fit, aut datur solum in gratitudinem temporalis.

123. Secunda propositio alia duo dicebat: primum non esse simoniam dare temporale pro spirituali, licet temporale esset motivum principale dandi spirituale. Secundum, hoc esse verum, quamvis temporale esset finis spiritualis, ita ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

124. Hi quatuor modi palliandi simoniam merito damnantur, quia dare, vel efficere spirituale pro temporali, aut e contra, sive dicatur, ut pretium, sive ut motivum, solum voce est distinctum; at in rei veritate fit, aut datur unum pro alio, & æquiparatur spirituale temporali, & temporale spirituali, in quo præcipue stat fœditas simoniæ. Alias omnis simonia posset excusari, dicendo non dari spirituale pro temporali, ut pretium, sed ut motivum, aut finis, seu ut gratitudo, aut recompensatio.

125. Verum est, quod facere, vel dare spirituale pro temporali ex mera gratitudine licitum, bonum, & aliquando est debitum, ut quod pauperes orent pro suis benefactoribus, sed querere, intendere, aut exigere gratitudinem in rebus spiritualibus pro alia temporali, labem simoniæ redolet. Sicut enim decet, quod mutuatarius gratum se exhibeat, mutuans vero nequit aliquid ultra sortem querere, intendere, aut exigere etiam ex gratitudine, aut alio quocumque motivo: ita proportionabiliter in præsentibus.

XLVII.

Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo, pro positivo, vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

126. Tres interpretationes tribuit hæc

propositio decreto Tridentini sess. 24. de reform. cap. 1. Verum ut falsæ simul cum ea merito damnantur. Itaque datur obligatio sub gravi ad eligendum digniores proprie loquendo ad Episcopatus, Cardinalatus, & alias Prælaturas ecclesiasticas, esto fiant sine concursu. Triplex conditio requiritur ex jure ad dignitatem: probitas vitæ, scientia sufficiens, & prudentia in agendis. Qui plus eminet in istis, regulariter dignior est.

127. Beneficia curata sive in concursu, sive extra, dignioribus etiam sunt conferenda, ut patet ex eodem Concilio sess. 24. cap. 18. Et licet circa beneficia simplicia adsint hinc inde opiniones, probabilius tamen dignioribus conferri debent; alias violatur jus Ecclesiæ, cui ministri digniores debentur.

XLVIII.

Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicitur, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

128. Hæc propositio supponit fornicationem esse prohibitam, sed putat, eam solum esse malam, quia prohibitam, in quo aperte fallitur, ideoque merito damnatur. Est enim peccatum contra rectam rationem, & contra bonum prolis educationem. Ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2.

XLIX.

Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub gravi.

129. Hæc propositio similis est præcedenti, supponit enim mollitiem prohiberi jure divino, sed putat non esse prohibitam jure naturæ. Verum fallitur, & ideo damnatur, & declaratur esse malam intrinsicè; intellige de mollitie quocumque modo voluntaria, sive in se, sive in sua causa. Sic enim est omnino detestabilis. Opponitur quippe ipsi naturæ: unde appellatur peccatum contra naturam.



ram. Ergo etiam præcisio præcepto divini, ipso jure natura prohibita est.

## L.

*Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

129. Semper, ac datur accessus ad alienam, adest adulterium, nec maritus potest cedere juri suo, nec est dominus, sed usuarius corporis suæ uxoris; falsa igitur est propositio, meritoque damnata. Si copula habeatur inter duos conjugatos, non inter se, adest duplex adulterium, in confessione necessario explicandum.

## LI.

*Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

130. In explicatione hujus propositionis damnata adeo varie disceptant Auctores, ut vix aliquid certi habere possit, nisi id ipsum, quod in ea exprimitur. P. Concina tom. 2. p. 120. n. 11. non agnoscit differentiam inter famulum adjuvantem ad prædicta herum, & inter captivos Christianos remigantes contra alios Christianos verberibus, & dura servitute lege coactos. Alii rectius magnum discrimen adesse ajunt, quod approbat Bened. XIV. in Syn. lib. 13. c. 20. n. 6.

131. Unde eruitur caute esse procedendum circa extensionem propositionis damnatae, seu circa extensionem damnationis propositionum; quit enim una esse damnata, quin alta ei similis comprehendatur in damnatione, ut apparet ex mente laudati Pontificis loco citato, & alibi. Igitur certum est, non posse fieri a famulo relatas actiones, aut quid simile, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, nec domo expellatur. An autem

metu mortis fieri valeant, nec ne, adhuc non est definitum.

## LII.

*Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

132. Sub gravi obligat præceptum servandi festa, etiam secluso scandalo, & contemptu, & oppositum, ut scandalosum merito damnatur. Est enim præceptum divinum quoad substantiam, & ecclesiasticum, quoad tempus, seu dies, & circa materiam gravem, nempe circa cultum Deo exhibendum, ergo obligat sub gravi.

## LIII.

*Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

133. Hæc propositio juste damnatur: est enim falsa, menti Ecclesie opposita, & ipsius præceptorum illusiva. Ecclesie mens est, quod fideles tantum temporis insumant in Missa audienda, quantum Sacerdos in ea celebranda; & quod audiant Missam ab eodem Sacerdote celebratam, & ita est receptum communi fidelium usu.

134. Dices: Valet quis satisfacere simul officio divini, & Missæ præcepto, ergo etiam duplici parti Missæ. R. Quod officium divinum, & auditio Missæ non exigunt diversa tempora successiva, ideo valet utrique simul fieri satis, partes vero Missæ exigunt diversum tempus successivum, unde nequeunt, simul auditæ, sufficere pro præcepto adimplendo.

135. Non damnatur, quod possint ex gravi causa audiri due partes Missæ successive a duplici Sacerdote celebratæ, ita ut ab uno audiat a principio usque ad consecrationem, & postea, vel antea ab alio a consecratione usque ad finem; quod adstante causa non inficiamur. Nam licet in rigore physico nec sit una Missa, nec duæ integræ; tamen reputatur unum moraliter obsequium in Dei cultum præstitum. Nec damnatur satisfieri posse tripli-

plici obligationi audiendi sacrum ex voto, ex præcepto, & ex injuncta poenitentia per tres Missas simul auditas, sed hoc non est faciendum, nisi constet expresse ex mente obligantis, quæ regulariter præsumitur velle obligare ad audiendas Missas successive juxta communem usum fidelium.

## LIV.

*Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.*

136. Debitor impotens solvere majorem partem v. g. sexaginta ex centum, non ideo excusatur a reliquo solvendo, ergo nec impotens recitare majorem partem officii divini, excusatur a reliquo recitando. Nec est ad rem, quod major pars trahit ad se minorem, hoc enim tenet in rebus miscibilibus, aut accessoriis; sed non in debitis, & obligationibus divisibilibus; alias impotens jejunare totam quadragesimam, & potens unam hebdomadam, nec ad hanc teneretur, quod est absurdum.

137. Unde qui potest recitare unicam tantum horam canonicam, ad hanc tenetur, nisi ex infirmitate, debilitate, aut alia justa causa etiam ab ea excusetur. Quod non tenet in jejunio, qui enim non potest jejunare ratione laboris per totum diem, non tenetur ad solam partem diei, quia jejunium in hac consideratione est velut indivisibile respectu unius diei. Nisi forte primo mane ex oblivione, aut ex vitio jejunium quis fregerit, tunc enim debet modo possibili in reliquo diei illud observare. Aliud autem est non posse quempiam ex justa causa pro majori parte diei jejunare, aliud nolle: illi, non isti favendum est.

## LV.

*Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem.*

138. Hujus propositionis fundamentum erat, quod Ecclesia non præcipit actus internos, & consequenter, quod per communionem externam, esto sacrilegam oc-

culte, fiebat satis ejus præcepto. Sed fallit in utroque; tum quia hoc præceptum quoad substantiam est divinum, cui subsunt actus etiam interni; tum quia Ecclesia præcepit actus internos necesarios pro actu externo rite præstando, ut patet in recitatione divini officii, & auditione sacri.

139. Communio sacrilega majus crimen est, quam homicidium, adulterium, aut peccatum contra naturam. Probet igitur se ipsum homo, caveatque indigne accedere ad tantum sacramentum, ne quod ad salutem omnium institutum est, in perniciem, & mortem sibi vertat.

## LVI.

*Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

140. Hæc propositio præsumens forte pietatem fovere, ignorantiam, & stultitiam prodit, atque peccata, vitia, & sacrilegia fovet. Vivere enim gentiliter, hoc est dissolutis moribus, non relinquendo occasiones proximæ peccandi, & sine emendatione vite, & frequenter communicare, est peccata peccatis, sacrilegia sacrilegiis addere. Unde merito damnata est propositio, quia potius in talibus nota reprobationis, quam prædestinationis est frequens confessio, & communio. In illis vero qui, resecatis vitis, expulsisque peccatorum occasionebus, cum puritate cordis vivere satagunt, est nota piissima prædestinationis.

## LVII.

*Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

141. Attritio mere naturalis quantumvis honesta non sufficit ad justificationem adhuc intra sacramentum, quia attritio, qua fit sacramentum est, donum Spiritu sancti, & consequenter supernaturalis, ut habetur ex Trident. Sess. 14. cap. 4. de Pœnit.

142. Nec minus sufficit extra sacramentum, error enim Semi-Pelagianorum, attritionem se solam sufficere ad justi-



fictionem, ut hereticus a tempora Augustini est proscriptus. Igitur damnatio declarat, quod nec intra sacramentum sufficit attritio pure naturalis. Non tamen damnantur opiniones asserentes sufficere extrinsecas, vel modaliter supernaturalem licet oppositum sit probabilius, & omnino amplectendum, nempe, quod esse debet *intrinsecas*, & *entitative* supernaturalis.

LVIII.

*Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

143. Certum est jam debere pateferi consuetudinem cujuscumque peccati Confessario interroganti. Tum quia oppositum est damnatum. Tum quia Confessarius jus habet exquirendi dispositionem poenitentis, sæpe enim prava consuetudo eum detrahit a vero dolore, propositoque firmo iterum non peccandi. Præterea Confessarius, ut medicus applicare debet remedia ad evellendam consuetudinem, quod nequit efficere, si eam ignorat.

144. Quapropter probabilius est debere confiteri consuetudinem, licet a Confessario non interrogetur. Nam quamvis oppositum non sit damnatum, rationes adductæ id satis probant. Quod tenendum est de poenitente quantumvis docto. Nullus enim est bonus Judex in causa propria, maxime in materia morum.

LIX.

*Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alienius festivitatis, aut indulgentiæ.*

145. Hæc propositio juste damnatur, quia integritas confessionis est de jure diuino, concursus autem poenitentium pro magna solemnitate, aut lucranda indulgentia ei non prævalet, cum sit actus meræ devotionis, & prior est obligatio, quam devotio. Adsunt tamen varii casus, in quibus omitti valet integritas materialis, & absolvi poenitens cum integritate formali, ut in naufragio, bello, incen-

ditionibus damnatis.

dio, & aliis, de quibus suo loco actum est.

LX.

*Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, nature, aut Ecclesie, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

146. Hæc propositio merito damnatur, quia si nulla appareat spes emendationis, nulla appareat spes firmi propositi, sine firmo autem proposito nequit dari absolutio. Non igitur sufficit, quod poenitens ore dicat, se dolere, & proponere emendationem; hoc enim facile est, & ab omni peccatore, qui absolvi cupit, dicitur. Sed quia processus confessionis aliud recitat, huic debet attendere Confessarius, ut tanquam Judex sententiam proferat ligandi, vel absolvendi juxta cujusque merita.

147. Observari oportet discrimen, quod adest inter consuetudinarium, & eum, qui est in occasione proxima voluntaria peccandi: huic enim nec pro prima vice danda est absolutio; illi vero aliquando conferri valet, modo supra in tract. de peccatis dicto, supposito dolore, & proposito, ac etiam in aliquo casu extraordinario v. g. repentinæ mortis alterius, ex qua perterritus accedit poenitens. Sed nec tunc absolvendus est, qui est in occasione proxima, nisi hac sublata, si potest, & effective eam non repellit.

LXI.

*Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito queris, aut ei se ingerit.*

LXII.

*Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

LXIII.

*Licetum est querere occasionem proximam*

*nam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

148. Hæc triplex propositio justissime damnatur, quia est scandalosa plena, fovens peccata, & eorum occasiones proximas, a quibus esse magno opere fugiendum, omnia sacra pagina commendat, jubet, & præcipit. Sed quia de illis satis actum est in tractatu de poenitentia, & alibi, ideo in præsentem non immoramur.

LXIV.

*Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

149. Falsitas hujus propositionis patet, quia supponit ignorantiam culpabilem de mysteriis principalibus fidei, & tamen dicit posse absolvi, qui ea laborat; quod adeo falsum est, ac dicere, quod peccans actualiter est capax absolutionis. Ignorans enim culpabiliter mysteria fidei est in actuali peccato.

150. Ut igitur quis sit capax absolutionis, debet credere in primis Deum esse, & remuneratorem esse: deinde mysteria sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis, ita ut ignorans hæc quatuor, sit incapax absolutionis. Si autem a Confessario sufficienter instruat de eis, saltem quoad substantiam, jam ex hac parte absolutionis capax est poenitens. Debet tamen scire etiam ea, quæ sunt necessaria necessitate præcepti, ut suo loco dictum est.

LXV.

*Sufficit illa mysteria semel in vita credisse.*

151. Hæc propositio duplicem sensum habere potest. Primo, quod sufficit actum fidei semel tantum in vita elicere. Et sic coheret propositioni quintæ supra expositæ. Secundo, quod sufficit dicta mysteria semel credidisse, licet deinceps quis eorum obliviscatur. Et in utroque sensu est damnata, quia pluries in

vita debent repeti actus fidei, & numquam ejus præcipua mysteria nesciri, ignorari, aut oblivisci.

152. Queres: an dari valeat ignorantia invincibilis mysteriorum fidei? R. Quod inter fideles non est admittenda, quia sæpe in ecclesia prædicantur, & docentur a Parochis, & aliis Concionatoribus. Et licet degentes in campestribus, & custodes peccorum frequenter eam non audiant, notiam tamen eorum habent, qua supposita, eorum ignorantia erit culpabilis, si non curent se instruere, querendo a majoribus, quid scire circa hæc teneantur, juxta illud. Deuter. 32. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores, & dicent tibi.

153. Diximus inter fideles; inter infideles quippe potest dari ignorantiam mysteriorum fidei, præcipue inter rusticos, bardos, & campestres non est dubium. Sunt enim supernaturalia, & æ mentis humanæ naturali lumine valde elevata. Unde licet de Deo uno, ut Authore naturali non sit admittenda ignorantia invincibilis, tamen de mysteriis fidei, utpote adeo excelsis, & supernaturalibus dari potest, & forte in pluribus infidelibus adest. Hæc ignorantia non est culpa, nec propter eam quis damnatur, sed propter peccata scienter, & voluntarie commissa. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras, ait D. August. lib. 3. de liber. arb. cap. 19.

154. Inq. Quod agere debeat Confessarius cum poenitente in mortis articulo constituto, & mysteria fidei ignorantem? R. In primis non se turbet, nec angatur, sed animo sereno curet facere, quod in se est, prout tempus permittat. Deinde instruat eum præ omnibus de his, qua scienda, & credenda sunt necessitate mediæ, videlicet de mysteriis Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Domini, futuræque vite præmia, & supplicia æterna: immediate suadeat, ut se delectet de negligentia addiscendi fidei mysteria, ac de omnibus reliquis peccatis a se perpetratis, ut eliciat actus fidei, spei, & caritatis, dicendo illos simul cum eo non præcipitanter, sed quiete, mansuete, & pacifice, ita ut exeat ex corde. Præcipue vero eliciat actus doloris, ex intimo cor-



dis propter offensas irrogatas Deo summe bono, & summe diligendo; hoc enim plusquam aliis opus est in illa angustia.

155. Præterea si tempus permiserit doceat eum etiam mysteria necessaria necessitate præcepti, vel saltem aliqua, & quod firmiter proponat cætera addiscere quamprimum possit. Tunc enim horrore mortis, infirmitatisque angoribus oppressus non facile valebit in eis bene instrui.

156. Occasione dictorum monitos vellem quoslibet moribundis auxiliantes, ne eos nimium fatigent, sed prudenti economia in tam pio exercitio se gerant: ita ut nec per desidiam moriantur sine auxilio, nec per nimium zelum, & fervorem alicujus impatientiæ occasionem eis tribuant. Quasdam jaculatorias bene conceptas eis suggerere necessum est; non tamen longas; vel adeo continuas, ut molestiam, & tedium ingerant: neque vocibus clamorosis sunt intimandæ, quia vel infirmus est sensibus destitutus, vel non: si primum, superflui sunt clamores, si secundum, nedum sunt superflui, sed etiam valde molesti. Igitur huic piissimo ministerio operam dantes utantur voce miti, devota, & clara excitando suaviter egrotos ad amorem Dei, dolorem peccatorum, ad actus fidei, spei, & caritatis, invocando sæpe dulcissima nomina Jesu, Mariæ, & Joseph, Angeli custodis, sancti nominis infirmi, & aliorum sanctorum ejus devotionis.

§. III. *Quædam dubia circa propositiones damnatas.*

157. Inq. 1. Quid præscribant decreta Alexandri VIII. & Innoc. XI. circa propositiones a se in materia morum damnatas? R. Declarant primo dictas propositiones tanquam scandalosas ad minus. Secundo prohibent defendere eas publice, vel privatim, aut disputare de eis, nisi eas impugnando, sub pena excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, & Papæ reservatæ. Tertio prohibent in virtute sanctæ obedientiæ eas,

vel quamquam illarum in praxim reducere. Adest insuper decretum sanctæ Inquisitionis, ut si quis sciat aliquem eas in praxim reducere, illum denunciet eidem tribunali sub pena excommunicationis ferendæ.

158. Inq. 2. An, qui præficaret aliquam ex dictis propositionibus, esset hæreticus? R. Sub distinctione. Vel enim præficaret formaliter, vel tantum materialiter. In primo casu duplex peccatum committeret, ac esset hæreticus; in secundo autem nec esset hæreticus, nec duplex peccatum committeret. Præficere formaliter est facere, quod prohibetur in propositione, judicans Ecclesiam errare in ejus damnatione; præficere materialiter est, id efficere, vel ignorans damnationem, vel credens in eo ipso peccare. Sit exemplum, si Petrus comedit, aut bibit usque ad satietatem, agnoscens peccare saltem venialiter; vel ignorans propositionem damnatam, præficat materialiter unam ex dictis propositionibus; si autem id efficiat putans non peccare, adhuc supposita damnatione, præficat illam formaliter & debet denuntiari sanctæ Inquisitioni.

159. Idem est de illo, qui scienter defenderet unam ex dictis propositionibus tanquam præfite probabilem; quia id esset pertinaciter se opponere decretis Pontificum. Eodem quippe modo prohibetur eas defendere publice, vel privatim, aut de eis disputare, nisi impugnando, ac eas in praxim reducere.

160. Inq. 3. An, una propositione damnata, aliz similes sint etiam damnatæ? R. neg. Nisi similitudo sit quasi identica in circumstantiis, & sine damnationis. Unde minime est audiendus quidam recentior passim clamitans propositiones gravium Doctorum comprehendi in aliis damnatis. Damnatio enim utpote odiosa non est ad libitum amplianda; sed potius restringenda: & intelligenda juxta proprietatem verborum propositionis, ejusdemque damnationis.

§. IV.

## §. IV.

*Propositiones damnatæ in Concilio Complatensi habito quarum damnationem auctoritate Apostolica confirmavit Xistus IV. ann. 1479.*

1. Peccata mortalia quantum ad culpam, & penam alterius sæculi deleantur per solam cordis contritionem sine ordine ad Claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utili Ecclesiæ non de jure divino.

3. Præva cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia deleantur, sine ordine ad Claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius penitentia eis injuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui vi vo penam Purgatorii.

7. Ecclesia Urbis Romæ errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

9. Sacramentum Poenitentiae quantum ad collationem gratiæ sacramentum naturæ est, non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti.

10. Damnata fuerunt hæ propositiones ut scandalosæ, ac hæreticæ, & coactus Mag. Petrus Oxomensis illas abjurare; quod catholice implevit.

*Quinque propositiones Jansenii damnatæ in materia fidei ab Innoc. XI. anno cent. XI. die 9. Julii.* Anno 1653.

1. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis voluntibus, & conantibus secutum præsentis, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* \* Hæc propositio proscribitur tanquam temeraria, impia, & blasphemæ, & hæretica.

2. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* \* Hæretica declaratur.

3. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* \* Hæretica similiter decernitur.

4. *Semipelagianum admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellet, eam gratiam talem esse, cui possent humana voluntas resistere, vel obtemperare.* \* Falsa, & hæretica definitur.

5. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse.* \* Tamquam falsa, & scandalosa, & intellecta in eo sensu, ut Christus pro salutē dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, tamquam impia, blasphemia, contumeliosa divini pietati derogans, & hæretica damnaur.

161. Inq. An Jansenius fuerit hæreticus formalis? R. neg. quia Jansenius Episcopus Yprensis, alias doctissimus, semper veneratus est Sedem Apostolicam, tanquam oraculum irrefragabile in materiis fidei, & eadem veneratione diem clausit extremum, subjectis prius scriptis suis Ecclesiæ correctioni, & judicio. Voluit Jansenius sequi ad unguem doctrinam S. Augustini, quem male intellexit, & pessime quod ad hoc est interpretatus ex errore materiali intellectus, ex quibus dictas quinque propositiones ignoranter potius, quam pertinaciter protulit. Unde ipse, ut hæreticus formalis, minime est habendus.

162. Errant igitur aliqui, qui Jansenium ut formalem hæreticum traducerent contendunt; atque idem est dicendum de præclarissima, & sapientissima Universitate Lovaniensi, quæ semper Ecclesiæ beneemeritæ exiit, atque Decreta Innoc. X. & Alexand. VII. dictas propositiones damnantia, summa obedientia, & subjectione Sedi Apostolicæ recepit, & complexa fuit. Idem fecit dum prius a Pio VI. & Gregorio XIII. proscriptæ fuerent septuaginta novem propositiones Michaelis Baii Doctoris Lovaniensis, aliorumque quorundam; in quibus Bajus dictas propositiones solemniter retractavit, damnationique Sedis Apostolicæ humiliter se subdidit. Quare dubitandum non est etiam Bajum sub obedientia romana



Ecclesie obliſſe. Discipuli autem Baii, & Jansenii, qui pertinaciter eorum propositiones ab Ecclesia damnatas credere, & defendere voluerunt, aut velint, tamquam haeresici formales habendi sunt. Possunt enim discipuli ob pertinaciam esse haereticos formales, quin tales sint eorum magistri ob defectum pertinaciae, ut de discipulis Gilberti Porretani, ait D. Bernardus serm. 80. in cantica. Unde verum est, quod Magistri absolvuntur, & discipuli damnantur. Magistri humiles, obediētes, dociles, suos errores agnoscentes, & Ecclesiae correctioni se submittent, ut fecit etiam Petrus de Oxoma, qui aliquos errores docuit, sed cito, ut sapiens eos retractavit, sicut Bajus, & alii alias perdocti Theologi absolvuntur. Sed discipuli superbi, tumidi, rebelles, & contumaces Ecclesiae merito ab ea damnantur.

## §. VI.

*Constitutio Innocentii XI. proſcribens orationis quietis a Michaele de Molinos doceantur.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Coelestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum variisque gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi Parentis tenebatur, sua ineffabili misericordiae liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostrae affixo in testimonium suae in nos caritatis sese hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est: mox reditus in caelum Ecclesiam Catholicam sponsam suam tamquam Civitatem sanctam Jerusalem descendente de caelo, non habentem rugam neque maculam, unam sanctamque in terris relinquens, armis potentiae suae contra portas inferi circumvallatam; Petro Apostolorum Principi, & successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam sectamque custodirent, ne oves pretioso suo sanguine redemptae pravaru opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod praecipue Beato Petro man-

dasse sacrae litterae docent. Cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit: *Pasee oves meas?* & rursus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Quare nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quae a Christo Dom. per Apostolos suos perpetua & numquam interrupta traditione praedicata fuit, quamque ipse usque ad saeculi consummationem permanentem esse promisit.

Cum igitur ad apostolatium nostrum relatum fuisset, quemdam *Michaelem Molinos* prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quae praetextu orationis quietis contra doctrinam, & usum a Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christianae pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quaeque inducebant: Nos, cui semper cordi fuit, ut fidelium animae nobis ex alto commisse, purgatis pravaru opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis praecedentibus iudiciis, praedictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus: Deinde coram nobis, & veneralibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Resp. Christiana generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, & auditis pluribus in sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum praedictorum Fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infrascriptaru propositionum ejusdem *Michaelem de Molinos* a quo fuerunt pro suis recognite, & de quibus propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis ipse convictus, & respective confessus fuerat, ut latius in processu & Decreto de Mandato nostro lato die 28. Augusti praesentis anni 1686. devenire, ut infra, decrevimus.

PRO-EST

## PROPOSITIONES.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare; & haec est via interna.
2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere, velut corpus exanime.
3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.
4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.
5. Nihil operando anima se annihilat, & ad ipsum principium redit, & ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizzata; & Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duae res unitae; sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & animam seipsam annihilat in esse operativo.
6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur.
7. Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de aeternitate.
8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.
9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.
10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.
11. Ad dubia quae occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.
12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere,

nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignatio Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntatis resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur, & non quod nostra divina. Et illud Evangelii, *Petite, & accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quae non solum habere voluntatem. Immo hujusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debet a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit indulgentias querere, pro poena propriis peccatis debita, quia melius est divinae justitiae satisfacere, quam divinam misericordiam querere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritatoria, nec est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistencia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commoveatur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Assere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, igaorantia est. Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio; & semper in anima operatur, quando haec suis

dis-







consenserit, & videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam numerem a lumine quodam actuali cogitatione humana, ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit: quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vite ordinariæ in hora mortis delusos invenit, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Dux leges, dux cupiditates, anima una, & amoris proprii altera, tandem perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ dux leges, & dux cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus, ex reflexione occurrunt.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a casibus conscientie, a Theologia, & philosophia.

60. Animabus provecis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, supplet ipse tanta gratia præservante, quantum in Sacramento recipere, & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum Poenitentiae

accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non representent amplius res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi; primo quia non habet fidem adeo puram; secundo quia non est adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam salutem; quarto quia caput referendum habet panthasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illud ingredi verum lumen.

65. Præpositio obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientie Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus, & Director intrant.

66. Risu digna est nova quedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico Doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internam manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicat his deceptionibus, & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut mani-

festentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae &c.

Quas quidem propositiones tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemias, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respectivè, ac quæcumque super his verbo, scripto, vel typis emissa pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquisitorum generalium damnavimus, circumscriptimus, & abolevimus: deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis posthac quoquo modo loquendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & officiis ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, & a Romanæ Pontificibus Successoribus nostris non valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus, omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*: vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter ideomate, sive sub ejusdem verbis, sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impressa seu manuscripta legere, vel apud se retinere; sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere & consignare teneatur sub eisdem poenis superius inflictis, qui Ordinarii & Inquisitores statim ea igni comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis poenis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem pleretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus nostræ sanctæ In-

quisitionis officii in santa Theologia, & Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michael de Molinos*, tamquam reum convictum, & confessum respectivè, & uti hæreticum formalem, licet poenitentem, in poenam ærcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias poenitentias salutaris, prævia tamen abjurazione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine, damnavimus: mandantes ut die & hora præfigendis in Ecclesia sanctæ Mariæ supra minervam hujus aemæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiae nostræ Prælati, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem *Michael de Molinos*, una cum sententia inde secuta legeretur: & postquam idem *de Molinos* habitu poenitentiae indutus prædictos errores, & hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio nostro sancti officii commissario, ut eum a Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret: quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licet supra narratum Decretum de Mandato nostro latum ad majorem fidelitatem cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit, nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructus per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum summorum Pontificum vestigiis inherentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione prædictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debite executioni tradi mandamus, iterum prædictas propositiones definitivè damnantes & reprobantes, librosque & manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes & interdicentes sub eisdem poenis, & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes insuper præsentibus litteris semper & perpetuo validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios &



integros effectus sortiri & obtinere, sicut per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & futuros, ubique judicari & definiri debere, & sublata eis & eorum cui libet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut presentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae 1687. 12. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

## §. VII.

*Due propositiones quarum prima, velut haeretica, & secunda, ut scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea damnatae sunt ab Alexand. VIII. 24. Aug. 1690.*

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, & rectae rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est

grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum. Vid. tract. 5. n. 71.

## §. VIII.

*Aliae propositiones, ut respective temerariae scandalosae, male sonantes injuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae schismaticae, haereticae, damnatae ab eodem sum. Pontif. die 7. Decemb. ejusdem anni.*

1. In statu naturae lapsae ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, quae voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum (Christus) pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, judaei, haeretici, alique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere, a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala.

8. Necessae est infidelium in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

Quan-

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam si videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae ex gehennae, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absoluti non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, & praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dicente.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna, quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet: nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione ob questum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arceudi sunt a sacra Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis experti.

24. Oblatio, in templo, quae fiebat a B. V. M. in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quae offertur Mariae, ut Mariae vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris &c. Praetermissis illis, ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo (para consilio) resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. In eminenti, est subreptitia.

Pro intelligentia hujus ultimae propositionis nota, quod statim, ac lucem aspexit jansenii liber, cujus titulus erat, Augustinus: prohibitus fuit ab Urbano VIII. Bulla: In eminenti, data ann. 1641. duabus de causis. 1. quia contra Pauli V. decretum tractabat de auxiliis gratiae 2. quia continebat plures propositiones a Pio V. & Greg. XIII. damnatas in Baio. Hanc Bullam subreptitiam dixerunt defensores jansenii, adhuc post damnatas ab Innoc. X. illas quinque famosas propositiones jansenianas ann. 1653. quorum temeritas cum diu postea ad aures Alexandri VIII. pervenisset, Santitas sua ann. 1690. declaravit Bullam Urb. VIII. esse legitimam, opinionemque Belgicam esse falsam.

## §. IX.

*Explicantur censurae theologicae propositionum.*

163. Censurae, quibus propositiones notari solent, sunt sequentes: haeretica, haeresi proxima, erronea, errori proxima, sapiens haeresim, suspecta de haeresi, male sonans, blasphema, temeraria, scandalosa, impia, periculosa, seditiosa, schismatica, injuriosa, stulta, aut insana, piarum aurium offensiva, perniciosa, & improbabilis. Ut ergo aliqua habeatur notitia, quid indicent hujusmodi cen-



eensuræ, non incongrue iudicamus, eas breviter explanare, ne candidati ignorent earum significationem, & qualitatem. Notari tamen oportet, quod solum loquimur de propositione objectiva, & prout est in se, non de subjectiva, & formali, quæ ex intentione, errore, aut aliis circumstantiis proferentis pendet; cuius examen pertinet ad superiores.

164. *Propositio hæretica* est, quæ immediate contradicit veritati fidei: ut hæc: *Christus non est Deus*; aut *Christus non est homo*.

165. *Hæresi proxima* est, quæ habet affinitatem cum hæretica, & mediate opponitur veritati fidei, & est eadem cum ertonea: Ut hæc: *Christus non est risibilis*.

166. *Propositio errori proxima* est, quæ opponitur veritati deductæ ex principio fidei per consequentiam, non evidenter metaphysice, sed moraliter certam: ut hæc: *Parvulis in baptismo non infunditur gratia intrinsece inherens*: cuius oppositum est certum moraliter ex Tridentino, asserente justificationem impii non fieri per solum favorem extrinsecum.

167. *Sapiens hæresim* est, quæ licet manifeste non indicet hæresim, affert tamen ejus factorem ob convenientiam in vocibus, aut circumstantiis proferentis cum hæreticis; ut *fides justificat*; quæ Lutherum sapit. *Christus est creatura*, quæ redolet Arianismum, Lutherus enim contendit, quod sola fides justificat; Arius autem, quod persona Christi est creata.

168. *Suspecta de hæresi* est, quæ in sua prolotione hæresis suspicionem generat; ut propositiones supradictæ, vel dicere aliquos *Papas fuisse superbos, simoniacos, & tyrannicos*: quæ est suspecta, simulque injuriosa.

169. *Male sonans* est, quæ habet sensum congruentem, verbis vero incongruentibus prolata, ut *Deus habet multas essentias*, intelligendo attributa, & relationes: vel dicere: *licitum est tollere aliena*; *licitum est occidere*, intelligendo in extrema necessitate, & auctoritate publica.

170. *Piarum aurium offensiva* est, quæ licet verum dicat, opponitur tamen reverentiæ debitæ personis, aut rebus sa-

cris; ut *communione frequentem plus obesse, quam prodesse*; *orationes vocales plebiumque esse inutiles*; vel *aliquos sanctos fuisse adulteros*.

171. *Blasphema* est, quæ contumeliam irrogat Deo, aut sanctis, sive hæreticis sit, sive non. Ut *Deus est injustus*; vel *per vitam Dei*. Similiter est blasphemata propositio, tribuens creaturis, quod est proprium Dei; ut *primus Angelus creavit ceteros Angelos, & similes*.

172. *Temeraria* potest esse, aut negative; aut positive. *Temeraria* negative est, quæ aliquid affirmat sine fundamento, ut *Pater æternus flet homo*. *Temeraria* positive est, quæ opponitur communi sensui Theologorum; ut *beata Virgo non est in caelos assumpta in corpore*, aut *magnum Elias mortuus fuit*.

173. *Scandalosa* est, quæ licet verum enunciet, occasionem autem ruinae audientibus ingerit: ut *fornicatio non est maximum peccatum, Deus illud facillime remittit*. *Periculosa* fere coincidit cum præcedenti, & est, quæ in materia eorum generaliter licere asserit, quod raro licite fieri contingit: *hominem posse cum femina in eodem lecto recumbere*. Vel *quod potest aliquis esse perfectus sine mortificatione corporali*.

174. *Impia*, quæ minuit cultum Dei, & sanctorum, pietatemque parentibus, & Superioribus debitam: vel quælibet propositio contra statum ecclesiasticum, aut religiosum, ut *clericatus, aut monachatus non est status pietatis*.

175. *Seditiosa* est, quæ excitat rebellionem, aut inobedientiam contra Principes, vel tumultus in republica, aut discordias inter Episcopos, vel inter sacras religiones: ut *Princeps tyrannus potest licite a subditis occidi*. *Nullus est dominus civilis, dum est in peccato mortali*. *Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corripere*.

176. *Schismatica* est, quæ aliquid docet contra unitatem servandam inter Ecclesie membra, & ejus caput, quod est summus Pontifex: ut *electio presentis Papæ est dubia*. *Ipsi non est obediendum*. *Appellari potest de ipso ad alium de novo eligendum*. *Romani Pontificis Monarchia post D. Hieronimi tempus exorta est*. *Tenendum est, quod quædam peculiariis Eccle-*

cle-

clesia docet de auctoritate Papæ, non quod Italica, aut Hispana.

177. *Injuriosa* est, quæ profertur contra aliquam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, vel contra aliquem peculiarem statum, vel familiam religiosam, ut *si de Cardinalibus, aut Episcopis convitia predicaret, aut scriberet, vel affirmaret religiosos mendicantes esse otiosos in Ecclesia, aut manducare labores alienos*. *D. Thomam habuisse plures errores, & idem de sanctis Patribus*.

178. *Perniciosa* est, quæ fidelibus nocere potest, minuendo media ad salutem, & perfectionem pertinentia, ut *qui parvipendit jejunia ecclesiastica, & officia mortificationis*.

179. *Seulta, aut insana* est, quæ in sua prolotione utitur verbis bardis, aut rusticis: ut *mille muli non sufficerent ad portandum codices, quibus sanctitas virginis scriberetur*.

180. *Improbabilis* dicitur propositio, quæ caret sufficienti fundamento: hæc autem, sicut & præcedens non est censura proprie theologica, licet aliquando inferat non levem injuriam auctori illius, quia non semel aspicimus appellari improbabilem propositionem, seu opinionem non destitutam omni ratione, & fundamento.

## TRACTATUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

### DE DOCTRINA CHRISTIANA.

#### CAPUT I.

##### Notio doctrinæ christianæ.

CUM ecclesiastici pleniori aliis notitia de rudimentis, ac mysteriis fidei pollere debeant: ideo pro coronide totius operis opportunum ducimus tractatum peculiarem instituire de doctrina christiana, quam ex variis Authoribus concinatam, simul cum quibusdam speciebus scholasticis, & dogmaticis pro candidatis lubenter tradimus.

181. Denique propositio maledica, aut contumeliosa, & infamatio reducit ad seditiosam, & injuriosam. Phantastica, vana, & præsumptuosa ad temerariam. Superstitiosa, ac adversiva reducit ad scandalosam, & periculosam. Adverte, quod eadem propositio potest affici una, vel pluribus censuris ex supradictis. Ut hæc: *Deus est injustus*. Est hæretica, blasphemata, impia, male sonans, & piarum aurium offensiva.

182. Inq. An sit obnoxius peccati, vel censuram mereatur, qui defendens propriam sententiam, censurat alienam, ut improbabilem? R. Quod si opposita sententia est probabilis juxta communem Theologorum, peccat, & censuram meretur: quia temerarium est improbare, quod ali communitur censent probabile. Si vero dubitatur de ejus probabilitate, qui plus æquo eam sugillat, licet non mereatur censuram; imprudentiæ tamen notam vix effugiet: cum alienum sit a viro prudenti aliorum scriptorum opinionem, & bonam existimationem labefactare. Patet veritas, sed media caritate, & prudentia. Multa verba excusarentur, si omnia fierent in caritate a majorem Dei gloriam.

183. Inq. Quid est Catechismus? R. Est instructio credendorum. Vel est instructio necessariorum, & conducentium ad salvationem hominum. Inq. Quæ sunt necessaria, & conducentia ad salvationem hominum? R. Sunt ea, quæ continentur in doctrina christiana? Inq. Quid est doctrina christiana? Resp. Est summa credendorum, & agendorum a christo Domino instituta ad hominum justificationem.

184. Inq. Quid est doctrina christiana? R. Est summa credendorum, & agendorum a christo Domino instituta ad hominum justificationem.

catio-